



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Sermo de virtute exco[m]municationis Fratri Martino
Luther Augustiniano a linguis tertijs tandem euerberatus**

Luther, Martin

Lipsiæ, 1519

VD16 L 6037

urn:nbn:de:hbz:466:1-33415



Th. 6117.



27 II
13

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

Sermo de virtu-
te excommunicationis fra-
tri Martino Luther Augustiniano
a linguis terijs tandem
euerberatus.



F. MARTINVS LVTHER PIO
LECTORI SALVTEM.

Magna vere gratia mihi a domino nostro Ihesu Christo collata videtur, vt verba mea solius, tam ingrata & odiosa sunt multis, deinde, nescio in quot haereses (ceu Prothei quidam essent) secunda pene lingua transformetur. Et nisi idem ipsi domino nostro Ihesu Christo, Apostolisq; omnibus atq; Prophetis contigisse scirem, iam dudum desperans, silentium essem. Nunc vero cu' vrgeat officij mei necessitas, co nitor, q' magis obediens du' est deo, q' hominibus, paratissimu' officiu' & titulum docendi relinquere, si ita placet maioribus Ecclesiae (.i. Christo) Sin res nitendum est, dent veniam & boni consulant, qui volent, mei studeat, omnibus viribus sudare, vt Christus Christum Christo nunciet, & audiat. Haec comemoro, pie mi lector, q' Sermonem quendam de excommunicatione feci ad populum Vuitenbergensem, cui' vt ego prope sum oblitus, ita aduersarij miseri, sunt plus q' oportet, memores, interpretesq; rigidissimi, ne dica' iniquissimi, dabo itaq; opera, quantum sufficit memoria, vt sensa, si no' verba totius sermonis, omnia in publicum exponam, vt probem, ea me docuisse, quoru' neq; me poeniteat tractatorē, neq; piū audito rem, quid aut amici mei paraphrasi, aut pseudophrasi sua fecerint, aut faciant, det dominus, vt aliquando videant & ipsi Amē. Va.

DEBITVM VO BIS SERMONEM TO-
tiesq; promissum, tandem aliquando persoluo,
hoc est, de Virtute Excommunicationis
hodie dicendum est, quod vt plas-
sime intelligatis, distins-
te procedam,

PRIMVM.

Videndū, quid sit excommunicatio Ecclesie, Et quā-
tum vis vocabuli valet. Excommunicatio nihil est
aliud, q̄ priuatio communionis, & extra commu-
nionem fidelium positio. Est autem fidelium commu-
nio duplex. Vna interna & spiritualis, alia externa
& corporalis. Spiritualis est, vna fides, spes, chari-
tatis in deum. Corporalis est participatio eorundem sacramentor-
rum. i. signorum fidei, spei, charitatis, quæ tamē vltèrius extendit-
tur vsq; ad communionem rerum, vltus, colloquij, habitationis,
aliorumq; corporalium conuersationum.

Igitur sicut priore illa spirituali communionē, nulla natura pos-
test animam vel communicare, vel excommunicatam reconcilia-
re, nisi deus solus. Ita non potest communionem eandem vlla
creatura ei auferre, seu eam excommunicare, nisi solus ipse homo,
per peccatum proprium. Hæc sententia satis patet, quia fidem,
spem, charitatem, nulla creatura potest conferre, vel auferre, lux-
ta illud Ro. viij. Quis separabit nos a charitate dei? Et infra. Cer-
tus sum, q̄ neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus,
neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; alti-
tudo, neq; profundum, neq; alia creatura, poterit nos separare a
charitate dei, quæ est in Christo Ihesu domino nostro. Et. i. Pe. iij.
Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

SECVNDVM.

Consequens ergo est, q̄ excommunicatio ecclesiastica est dum
taxat externæ priuatio communionis, scilicet sacramentorum, su-
neris, sepulturæ, publicæ orationis, deinde aliarum (vt dictū est)
corporalis necessitatis rerum & conuersationū. Hæc enī snia nos-
ta est, sic & Paulus. i. Corin. v. scribit. Vt non commisceant, nec
cibū sumant cū eo, qui nominat inter eos, fornicator, maledictus,
ebriosus rapax &c. Et. ij. Tessa. iij. Si quis non obedierit verbo
nostro per epistolam hanc notate, & non cōmisceamini cū illo,
vt confundatur. Sequit. Et nolite quasi inimicum existimare, sed
corripite, vt fratrem, Hæc si nō de excommunicatione externa,
salua interna communionē, dicta sunt, fateor me non intelligere

A ij

Apostolum Paulum. Et Ioannes epistola secunda. Si quis uenit ad vos, & non affert doctrinam hanc, nolite eum in domum recipere, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, comunicatur operibus eius malignis.

¶ TERTIVM.

¶ Excommunicari non est animam tradi diabolo, neq; priuari bonis Ecclesie, communibusq; orationibus eiusdem. Hoc ex dictis abunde patet, quia manente fide, spe, & charitate, manet uera communio, & participatio omnium bonorum Ecclesie.

¶ QVARTVM.

Excommunicatio, si iusta est, significat potius animam esse diabolo traditam, & ecclesie communionem spirituali priuatam, quia fertur super eum, qui peccato mortali seipsum priuauit communionem charitatis, & diabolo sese tradidit. Sicut contra reconciliationis & communionis. Ideo uerum est, qd excommunicatio ecclesiastica, non infert, sed presupponit aliquem esse in morte & peccato, i. uere excommunicatum spiritualiter.

¶ QVINTVM.

Excommunicatio, sic est temporalis & corporalis, tamen ordinatur, non contra, sed pro communionem interiore, uel reparanda, si iuste lata fuerit, uel augenda, si iniusta fuerit.

Probatu hoc per Apostolum. ij. Corin. vlt. Agam secundum potestatem, quam dedit dominus mihi non in destructionem, sed in aedificationem. hoc certe intelligo, qd non possit destruere, sed tantummodo aedificare per Ecclesiasticam potestatem. Nam & illum fornicarium. i. Corin. v. sic excommunicauit, & Satanam tradidit, ut spiritus nihilominus saluus fieret, & ut supra dictum est. Non existimandi sunt quasi inimici. Sed corrigendi ut fratres, non ut perdant, sed ut confundantur. Et ut audacius dicam. Ne Christus, ut homo, hanc habuit potestatem separandi animas, sicut dicit Ioan. vi. Omne quod uenit ad me non eijciam foras. Et iterum. Hec est uoluntas eius, qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam. Et iterum alibi. Non uenit filius hominis perdere, sed saluare animas. Item ad hoc est apertus quoque textus li. vi. de sen. ex co. c. Cum medicinalis, qui ualde est notabilis, dicens. Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit non contemnat, caute provideat Ecclesiasticus iudex, ut in ea ferenda, ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. Hec ibi. Cur non dixit, quod perdentis & occidentis fuerit, sicut quidam desperati timent, immo quidam Officialis tyranni affectant? Igitur Ecclesiastica excommunicatio, est pium & maternum Ecclesie flagellum, super corpus & res corporis

ris impostum, quod nō trahit ad infernum, sed potius reuocat, & vrget ad salutem eos, qui ad inferna properant, ideo cum summa exultatione, & reuerentia simul amplectendum, nedum patiens sissime ferendum est,

¶ SEXTVM.

Illud solum & maxime omnium curandum est, ne excommunicationis tam fidele salutis ministerium, contemnatur, aut impatiens tuis feratur quia nō modo propter potestatem Ecclesie, quae per seipsam semper est metuenda, sed etiam propter piam huius potestatis operationem, & salutis proprie promotionem, amanda. Sic simile, q̄ mater corripiat dilectum filium, quādoq; meritum, quandoq; immeritum. Hic constat pium esse flagellum, & filio salutare. Q. si ipse impatiens maternae huius disciplinae, nō omiserit prohibitum, aut non fecerit iussum, Sed furens in matrem insurgat, aut contemnat. Ecce tum incurret in mandatum dei, vbi praecipit parentes honorari, & fiet vt ex vnica leuiscula disciplina, quae sine peccato, immo cum merito erat, sibi conflet, detestabilissimam culpam, & aeternam poenam. Ita & nostro saeculo fieri (heu miseriam) videmus, vt officiales trucidant, notarios & nuncios caedant, mergant, captiuent, aliq; detestabilia portenta committant quod non facerent credo, nisi vulgata illa, erroneaq; opinione, crederent sese per excommunicationem, tradi in damnationem, ac non potius quæri ad salutem. Hinc enī sceleribus adiaciunt desperationem, nouissimum omnium, horrendissimumq; malorum, Atq; hæc causa fuit, vt hunc sermonem meditarer, & nūc ædere quoq; Qm̄ q̄ iuste permittat hanc eadem in officiales deus, vt qui hanc sententiam salutis absconditam cupiunt quo securius tyrannidem suam falso terrore hominum stabiliant, tandem extrema tyrannorum etiam patiantur.

Si vero populus huius potestatis & excommunicationis optimam necessitatem, & saluberrimam vim, ac non contra eos, sed pro eis valere, doceretur intelligere, minus ipsi periculorum, & quietam obedientiam in populo haberent, quin & gloriam & amorem obtinerent.

Igitur, mi fratres in domino, nolite hæc portenta cogitare. Sin Officiales, vel publicani, huius potestatis ministri, sint inquam boni, mali, qualescunq; non nocebit potestas ipsa vobis, sed proderit semper, siue sit in vsu vel abusu, tantummodo recte feratis eam, aut cum humilitate euadere seu solui querite. Matrem intues mini Ecclesiam. Quid ad te, si virgam suam super te ponat per manum indigni? nihilominus Matris tuae dulcissima virga estes & quidem saluberrima.

¶ SEPTIMVM.

Id potius aduerte, & oculos huc verte, vt illud magis, vel fas

A iij

... nisi episcopus
cias vel omittas, propter quod excommunicaris & flagellaris, quod
quo modo virgam non feras, sed cui omnia haec perueritissima sunt
non quid velit, sed quid faciat dicitur virga, consideramus. Quis
est enim nunc inter nos, qui tanto timore, timeat deum offendere
(pro quo utique solo excommunicamur, si iuste excommunicamur)
quanto studet excommunicationem vitare vel euadere? Ita fit, ut
semper poenas, etiam tam pias & bonas, plus timeamus, quam horrens-
dissimas culpas, Et ad id, pro dolor, cooperantur tam minaces
& imperiosi huius optimae potestatis ministri rabule forenses.

¶ OCTAVVM.


... dei per episcopum
Excōmunicatio, nō tantum pro fidei contumacia, sed pro quos-
libet criminē scādalofo debet ferri, patet hoc ex praedictis, vbi Pau-
lus. i. Corin. v. &. ij. Tess. ij. Iubet vitari etiam fornicarios &c.
quod magna sit miseria, & huius potestatis iniuria, quod pro septima
aut octava parte florenti, quandoque excōmunicentur, relictis inter-
rim horribilibus & scandalosis criminibus impunitis, efficit ad
hanc tyrannidem colorandam, satis vafro cōmento, quod scilicet, nō
propter trāsgressiones, sed propter contumaciam excōmunicentur,
quasi non sit hoc crudele satis, quod pauperem pro tantillo pres-
cio trahit per tantum spaciū, in tātas carnificinas suas. Sed haec alias

¶ NONVM.

Id super omnia, & in ijs omnibus considerandum est, quod potestas
Ecclesiae cum sit Christi potestas, licet pro nostris peccatis plures
rūque tradetur Pilatis, Herodibus, Annis, Caiphis, violentissimis
milique alijs tyrannis. nostrum tamen est, eam summis semper studiis
reuereri & colere, exemplo Christi, sic Annam, Caipham, Pilatum
honorauit. Ideo nec indignissima eiusdem abusiones, nos debent
permouere, quin quicquid ipsa fecerit, hilariter feramus, aut saltem
cum reuerentia declinemus. Nam tempus nostrum periculosissimum
est, ideo prudentissime oportet nos agere, ne propter pers-
sonas, potestatem pariter vilipendamus, immo propter potestas-
tem, etiam vilissimas personas honoremus. Sic enim iratus nos
bis dicit, dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur
eis. Isa. ij. Atque id eo facilius efficiemus, quando cognoscimus,
quod in animae profectum vel defectum nihil possunt nisi occasiones
liter & exercitatie & tentatie (ut ita loquar) agere.

¶ DECIMVM.

...
Excōmunicatio iniusta, nobilissimum meritum est, ideo dulciter
ferenda, si excusationi tuae humiliter praestita, locus non fuerit da-
tus. Hic enim illud dices ps. cvij. Maledicent illi, et tu benedices.
tantum vide, ne potestatem contemnas, vis potestatis prodest,
contemptus vero tere perdet, Nam si filio (ut dixi) immerito cor-



repto, eo maior gratia matris accedit, postquā cognita fuerit eius innocentia patiens, quanto magis apud deum maiorem gratiam consequetur, si patienti, innocentia etiam a matre sua Ecclesia tulerit disciplinam, immo si aduersario iubemur consentire, & benigni esse via, quanto magis dulcissime matri Ecclesie, etiam si per indignissimos nos flagellet. Ipsa enim manet Mater, quia manet Ecclesia, manet autem Ecclesia, quia manet Christus eius sponsus in eternum.

¶ VNDECIMVM.

In excommunicatione iniusta summe cauendum, ne id deferas, omittas, facias, dicas, pro quo excommunicaris, nisi id sine peccato fieri possit, Nam iusticia & veritas, cum sint de interiore communionē Ecclesie nō debēt omitti propter excommunicationē exteriorem, etiam si ad mortem vsq; procederet, quia sic pessime omnium excommunicaretur, si quis excommunicari timeret, debet ergo humiliter ferre, et mori in excommunicatione. Nec timeat quod non accepit sacramentum Eucharistie, funeris ritum, sepultura. &c. Hæc incomparabiliter minora sunt, q̄ vt iusticia propter ea perdat. Nam qui etiam iuste excommunicatus, moritur, non ideo damnabitur, nisi forte non contritus, & cum contemptu excommunicationis moreretur. Contritio et humilitas omnia soluit & placat, etiam si exhumetur, aut in aquas projiciatur. Beatus autem & benedictus, qui in excommunicatione iniusta mortuus, quia pro iusticia quam non deseruit, etiam tanto flagello percussus, coronabitur in æternum.

¶ DVODECIMVM.

Monendi tamen sunt Pontifices et eorum ministri, vt censuras grauatim, & q̄ fieri potest, rarissime ferant. Quia cum censura sit lex quædam. Omnis autem lex sit virtus, et occasio peccati, & sine gratia dei lex non impleatur, gratiam etiam dei (i. legis impletionem) dare ipsi non possunt. Nihil aliud faciunt, multiplicando leges & censuras, q̄ q̄ multiplicandorum peccatorum, & offensionum dei causas & efficaces occasiones præstant, quantum liber enim non obedire tenemur eorum præceptis, multo magis tamen ipsi tenentur seruire nostris infirmitatibus.

¶ Lipsiæ ex Aedibus Valentini Schumã
Anno domini Millesimo quingentesimo vndeuigesimo.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

[Faint, illegible section header]

Second block of faint, illegible text.

[Faint, illegible section header]

Third block of faint, illegible text.

[Faint, illegible text at the bottom of the page]





6117

Th
6117